

Caspar Mauritius

**Programma Quo Facultatis Theologicae Decanus Casparus Mauritius, S.S. Theol.
Doct. P.P. & Eccles. Suo & Dnn. Collegarum nomine Ad Disputationem
Inauguralem Vir Reverendus Et Clarissimus Dn. M. Joachimus Fabricius,
Archidiaconus Marianus Stetinensis ... die XVI. Octobris D. V. habebit, ... Dn.
Rectorem ... Dnn. Professores ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73858634X>

Druck Freier  Zugang



Ru. Med 1657

Mauritius, Saopar /f

Kat.: Fabricius, Iordanum
mit Proje.

PROGRAMMA
Quo
Facultatis Theologicæ
DECANUS
CASPARUS MAURITIUS.

S. S. Theol. Doct. P. P. & Eccles.

Suo & Dnn. Collegarum nomine

Ad

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

Quam

VIR REVERENDUS ET CLARISSIMUS

DN. M. JOACHIMUS FABRICIUS,

Archidiaconus Marianus Stetinensis, Consistorii

Regii Adsestor, & in Pædagogio Sacrosanctæ

Theol. & Litig. Professor,

die XVI. Octobris

D. V. habebit,



Magnificum Dn. R E C T O R E M,

Dnn. Professores & omnes omnium ordi-


nūm Cives Academicos, adeoq; omnes literarum

Fautores & cultores, officiosè & peraman-
ter invitat.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academiæ Typographi,

ANNO M. DC. Lh



A est Pontificiorum impudentia , ut Ecclesiam Catholicam alligent Romanæ sedi, idq; summa cura agant, ut evincant, eum cœtum non esse Ecclesiam, nec partem ejus, qvi Romanum Pontificem non agnoscit superiorem , qvin Pontificem Romanum & Ecclesiam Catholicam terminos esse convertibiles , qvæ sunt Tho. Bozii de Jure Nat. & divin. Eccles. libert. & potest. lib. t. cap.6. verba. Liceat h̄is verba opponere Augustini Donatistas increpantis enarrat. in Psal. XXII, 28. seqq. Quid mihi dicis, ô hæretice? Africa (Italia) solatedemta est? An fines terræ habemus in Mauritania (Romæ)? Universi fines terræ dixit, ô hæretice, universi dixit... Edwardus Brerewodus Anglus in sua investigatione lingvarum ac religionum cap. XIV. dum in proportione occupatus est indaganda partium terræ inter se , qvæ vel à Christianis, vel à Muhammedanis, vel à Paganis idolorum cultoribus per Europam, Asiam, Africam, Americam possidentur, tandem colligit hanc proportionem: si cognitas hasce mundi regiones eisq; contributas insulas dividamus in triginta portiones æquales, Christiani possident portiones quinq; Muhammedani portiones sex, Idololatræ sive pagani portiones novendecim. Quamyis interim omittas considerationem terræ Australis sive Antarcticæ, quam Magellanicam vocant. Hæc ille. Quæ tamen non eò sunt accipienda, quasi in portionibus illis XXV. quas Muhammedani & Pagani tenent, nulli Christiani inveniantur. Sunt dispersi per universam oīngpōn̄ Christiani, Catholica, id est, omnium locorum est Ecclesia, Catholica Christi curia, regnum, navis, qua ipse vehitur, quæq; in mediis nostrum fluctibus tutæ manet. Lignum est Ecclesia inter spinas non cirsum.

cumstantes tantum, verum etiam inferentes se, pungentes;
adeoq; lilium, ejusq; flores suffocare conantes. Est tamen Ecclesia manetq; lilium, eximia nitens pulchritudine & suavissimum spirans odorem. Crocus atteri gaudet & calcari, pereundoq; melius provenit. Exquisitor quæq; crudelitas (verba sunt Tertulliani cap. 46. Apologetici, ad Tyrannos) vestra, illecebra est magis sectæ (Christianæ,) Plures efficimur, quoties metimus à vobis. Semen est sanguis Christianorum. Premi Ecclesia potest, non opprimi, obscurari, non penitus tolli. Quæ Solis, eadem Ecclesiæ sors est. Est, ubi densæ nubes solis splendorem intercipiunt: est, ubi pluviis discussis radios per universum orbem spargit: Est deniq;, ubi neutrum fit, cum ex una cœl iparte Sol lucidus, ex altera atra tempestas apparet. Pari rerum vicissitudine Ecclesia illinc radios divinæ potentiae & gratiæ lucidissimos cupidè amplectitur: hinc vero diras tempestates & procellas persecutionum & adversitatum gemebunda clipeo fidei & patientiæ excipit.

Si fractus illabatur orbis

Incolumem ferient ruinas

Neq; minor Ecclesiæ nunc cura Deo, quam olim afflictissimi in Ægypto populi Israelitici. Ardebat ibi rubus, sed comburi non poterat, quia in medio rubo Angelus magni consilii habitabat. Significabat, inquit Philo, ardens rubus oppressos injuria; urens verò ignis, oppressores: quod autem non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligabantur inimicorum violentia, sed conatum eorum fore irritum, illos verò evasuros incolumes. Summis viribus, omniq; contentione id egerunt illa Imperatorum Romanorum monstra, Nero, Domitianus, Maximinus, Valerianus, Aurelianus, Diocletianus, Julianus, ut nascentem Christi Ecclesiam, in ipsa, quod ajunt, herba extinguerent. Sed irrito conatu. Nunquam majore triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus, de persecutione sub

A 1

Diocle-

Diocletiano olim Sulpitius Severus optime scripsit. Quin ipsi illi Ecclesiæ hostes, qui eam excisam & radicatus extirpatam volebant, magno suo damno senserunt, rem sibi non cum hominibus, sed cum Deo fuisse. Id quod olim futurum prædictum Zacharias Propheta cap. XII. 3. Futurum, inquit, est die illo, ut disponam Hierosolimam velut lapidem onerosissimum omnibus populis, quo quicunq; onerant se, omnino cæduntur, etiam si congregentur contra illam omnes gentes terræ. In quem locum hæc notata digna habet Hieronymus: Mos est in urbibus Palæstinæ: & usq; hodiè per omnem Judæam vetus consuetudo servatur: ut in oppidis & castellis rotundi ponantur lapides gravissimi ponderis, ad quos juvenes se exercere soleant. & eos pro varietate virium sublevare: alii ad umbilicum: alii ad humeros & caput: nonnulli super verticem erectis junctisq; manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In arce Atheniensium juxta simulacrum Minervæ vidi sphæram æneam gravissimi ponderis: quam ego pro imbecillitate corpusculi movere vix potui: cum autem quærerem, quidnam sibi vellet, responsum est ab urbis ejus cultoribus, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari: nec prius ad agonem quenquam descendere, quam ex levatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Sensus ergo iste est: Ponam Hierusalem cunctis gentibus, quasi gravissimum lapidem sublevandum. Levabunt quidem eam, & pro virium varietate vastabunt: sed ne cesset est, ut, dum levatur, in ipso nixu & elevatione ponderis, gravissimus lapis scissuram aliquam vel rasuram in levantium corporibus derelinquit. Super Ecclesia sic interpretari potest: quod cuncti persecutores, qui contra domum Domini dimicabunt, inebrientur eo calice, quo universis gentibus propinat Hieremias (cap. 25.) ut bibant & inebrientur & cadant & vomant & insaniant. Scio persecutionis tempore multos è nostris contra Ecclesiam pugnare compulos: sed quicunq; hoc

hoc pondus voluerit sablevare , levabit quidem : & pro ira
Domini , qua corripit peccatores , suis manibus sustentabit :
verum ipse non erit impunitus Dei contra se gladio dimican-
te. Hec ille. Sed de Ecclesiae Catholicae invicto robore,
non est quod pluribus nunc agamus. Fecit id in Inaugurali sua
Disputatione Vir Reverendus & Clarissimus Dn. M. JOA-
CHIMUS FABRICIUS, Ecclesiastes Stetinensis Ma-
rianus , Consistoris Regii Adseffor , & in Pædagogio Sacro-
sanctæ Theologiæ & Linguae Professor. De cuius Patentibus
& Vita quæ accepimus , hic expromenda erunt , ut receptæ
consuetudini morem geramus. Natus est Dn. M. JOACHI-
MUS FABRICIUS Lindoæ in Marchia, An: M. DC. XVII,
Parentibus honestissimis , Viro Spectatissimo ADAMO
Schmidt/ Pannifice & Scabino, Matre CATHARINA
HERINGES, foemina honestissima & maximè pia. A quibus
in pietate & timore Domini educatus , & ad ea studia , quæ
majoribus Dn. Candidati laudem & decus pepererant , tra-
ctanda maturè adhibitus est , cùd quod ingenium emicaret stu-
diis aptum. Jecit literarum fundamenta in Schola patria , quæ
postea Witstockii, Ruppinii, Zedenici, Gardelebii, Stargar-
diæ / pestis enim & bellici tumultus soepius commutare lo-
cum jussérunt) sic aucta , ut in linguis & artibus laudabiles ap-
parerent progressus. Anno XXXV. Hamburgum ivit , & in
studiis Philosophicis formandum se tradidit Viris Excel-
lentissimis & Clarissimis Dn. JOACHIMO JUNGIO,
Medicinæ Doctori & Gymn. Rect. Dn. M. BERNHARDO
WERENBERGIO, Philosophiæ Practicæ, Dn. M. MAR-
TINOLUDEMANNO, Logices & Metaph. Dn. JOHAN-
NI ADOLPHO THASSIO, Mathes. Profess. inclitis:
in Theologia Viro admodum Reverendo & Excellentissimo
Dn. Lic. GERHARDO GRAVIO, Ecclesiæ Cathedralis
Pastori laudatissimo. Atq; hic per biennium & semestre spa-
tium commoratus in publicis & privatis disputationibus ali-

quoties & respondēdo & opponendo, quin & perorando spe-
cimina eruditio[n]is luculenta edidit. Anno hujus seculi
XXXVII. ætatis XX. ad hanc nostram Academiam se con-
tulit, ibiq[ue] albo Academiæ inscriptus per sexennium eximia
cum laude tum probitatis, tum doctrinæ vixit. Audivit Viros
admodum Reverendos, Amplissimos Dn. D. JOHANNEM
QUISTORIUM, & Dn. D. JOHANNEM COTH-
MANNUM, sub quibus publicè disputavit, & sub illo quidē
de discrimine Legis & Evangelii ex Formula Concordiæ; sub
hoc verò de doctrina Baptismi: Dn. M. ELIAM TADDE-
LIUM, & Dn. M. SAMUELEM BOHLIUM, in quorum
collegiis subinde respondendo & opponendo se exercuit. Adde
his conventus privatos cum Viris & Juvenibus eruditissimis
institutos ad studia Philosophiæ & Theologiæ rectius exco-
lenda. Adde etiam labores homilericos, quos hic tum in aliis
templis, tum verò in primis in æde S. Crucis sustinuit cum
auditorii applausu. Hospitium ei & liberalem mensam præ-
buit Vir Amplissimus & Prudentissimus Dn. TITUS
MASE, Senator hujus Civitatis laudatissimus, cuius bene-
volentiam per quinquennium, & quod excurrit, ubertim sen-
tit, in se haud secus ac in Filium collatam. Anno XLI. De-
cano Viro Cl. & Excellentissimo Dn. LAURENTIO BO-
DOCK J. U. Lic. & Oratoriæ Professore celeberrimo, hono-
rem magisterii circa Michaëlis festum obtinuit, atq[ue] sic licen-
tia ab Ampl. Facultate Philosophica impetrata, Collegia &
in Philologicis & in Philosophicis Dnn. Studiosis aperuit.
Quamyis alias quoq[ue] Academias salutare animus erat, deti-
nuit tamen hic Dn. Candidatum gratissima studiis commo-
ditas, & nunquam satis laudanda prædicti Dn. Hospitis be-
nignitas. Tandem singulari Dei providentia dispositum est,
ut Anno XLIII. Sedinum in locum Musici Professoris, per
aliquot annos vacuum, ab admodum Reverendis & Nobilis-
simis Dnn. Capitularibus evocaretur. Cui officio singulari in-
du-

dustria per quadriennium præfuit, privata quoq; Collegia
tum in Linguis, Latina, Græca & Ebraica, tum in Philo-
sophicis, præsertim Logicis, Physicis, Metaphysicis, quandoq;
etiam in Theologicis, nō sine emolumento auditorum habuit.
Qua diligentia perspecta, quamvis antea de ipso ad Professio-
nem & Pastoratum in Academia & Ecclesia Gryphiswaldensi
promovendo consilia à Generosis & Magnificis Dnn. Consiliariis Status & aliis agitata fuerint, evenit tamen ex singu-
lari Dei voluntate, ut Sacræ Regiæ Majestati Sveciæ &c.
&c. &c. literis Eorundem systaticis commendatum, præno-
minati Dnn. Capitulares nomine Regio in Viri perquam Re-
verendi & Clarissimi, Dn. M. THEODORI SCHAMBA-
CHII, Archidiaconi quondam Mariani, Consistorii Regii Ad-
visoris, & in Pædagogio Sacrosanctæ Theologiæ & Linguæ
Professoris, nostri olim in inclyta Regiomontana amicissi-
mi, postquam Doctoris gradum expetitus in Academia
Gryphiswaldensi ad coelestem evocatus est, piè defuncti
locum evehent. Quo munere triplici ita functus est, ut Dei
gloriam, Ecclesiæ & Recip. literariæ commodum quæsiverit,
in Ecclesiastico puræ verbi prædicationi & Sacramentorum
administrationi; in Consistoriali salutaribus consiliis; in
Professorio Lectionibus & Disputationibus tum publicis
tum privatis, sicut id testantur Catalogi Exercititorum sin-
gulis semestribus spatiis impressi, diligentem operam impen-
derit. Cum verò tali officio præfectus esset, quod suo quoq;
dam velut jure, exemplo prædecessorum, summum in Theo-
logia gradum posceret, in hac nostra Academia, in qua per tot
annos cum laude & studiorum suorum insigni fructu vixerat,
eundem sibi conferri à Facultate nostra decenter petiit. Cui
petito honestissimo nos deesse nec voluimus, nec potuimus.
Itaq; more conserveto ad Examen admissus, cum le præstitie,
ut gratulari habeamus Ecclesiæ & Pædagogio Stetinensi de
hoc Doctore, & Viro Admodum Reverendo, Amplissimo,
atq;

atq; Excellentissimo Dn. JACOBO FABRICIO, SS. Th.
Doctori celeberrimo, ejusdemq; in Regio Stetinensi Gymna-
sio Professori primario, in æde S. Mariæ Pastorii, & Ori-
entalis Pomeraniæ Superintendenti Generali meritissimo, cu-
jus Filiam Elisabetham noster Candidatus in matrimonio
habet, de Genero tali, utriq; comprecati, ut porrò Deus ad-
ditis annis & viribus benedictione coelesti gravissima officia
prosequi & cumulare dignetur in nominis sui divinissimi glo-
riam & Ecclesiæ sanguine Christi partæ salutarem exædifica-
tionem. Cæterum, ut Candidati nostri processus in studio
Theologiæ omnibus noti reddantur, Disputationem solen-
nem de materia gravissima, Ecclesiæ Amplitudine & Duratio-
ne ad diem XVI. Octobr. D.V. est habiturus. Te igitur, Mag-
nifice Dn. RECTOR, Admodum Reverendi, Consultissimi,
Experientissimi, Excellentissimi Dnn. Professores, Doctores,
Licentiati, Verbi divini Ministri, Artium liberalium Ma-
gistrorum, Studioſi Nobilissimi & Præstantissimi, omnes deniq;
literatos & literarum fautores, studiosè invitamus & roga-
mus, ut Disputationem hanc Inauguralem honorifica vestrā
præsentia auctiorem & honoratiorem reddere, & cum Dn:
Candidato conferre, conferentesq; audire haud dedigne-
mini. Quod si feceritis honorem magnum tum Ipsi, tum Col-
legio nostro exhibebitis, nosq; vicissim ad officiorum &
Studiorum genera quævis habebitis obligatissimos vobis &
paratisimos. P P. Rostochii sub Sigillo Facultatis Theo-
logicæ d. V. Octobr. Anno Redemptoris
M. DC. LI.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73858634X/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73858634X/phys_0011)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73858634X/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73858634X/phys_0012)

DFG


Apoc. 13,8. vid. §. 36. & quia amplitudo mutabilis accidit, nec soli competit, πνεύμα ejus esse ne

§. 49. Et licet Pontifici plenis buccis de amplitudinibus negari tamen nequit, magnam ab Ecclesia Romanam, quod ipse Bellarm. l.3. de R. P. c. 21. & alii cuius pristinā amplitudine multum amiserit. Et si laus a quaerenda esset, certè nec illa nobis pro rursus denegat, scilicet Papistis, Ecclesia nostra passim repetitur. Praef. Tom. 1. Conty. Alphonsus de Castro in praef. lib. amplitudine etiam nostrae Ecclesiae conferatur aureus libellus de regno Christi, cap. 1. l. 1. cuius summam D. eo de Ecclesia p. 958. seq.

§. 50. Verum ab amplitudine Ecclesiae progressum, de cā paucis lineolis dissentiri. Duratio recte vel præteriti vel futuri. Præteriti respectu coincidit cā Romanenses venditant ut veram Ecclesiae notam. Vologi probè distinguunt inter antiquitatem Ecclesiae nimirum doctrinæ salvificæ veritate & sinceritate, & rursum caret. In priori sensu ad nostras iure refertur nota. Canon iste: Propter quod unumquodq[ue] tale est, illud in riori autem acceptione recte negatur, ita enim coempiorum, quæ cum Caino coepit, & ad diluvium universum in Chamō repullulavit.

§. 51. Quod inde usq[ue] à primordio creationis sunt homines, qui in Christum crediderunt, adhuc rursum ad extremū usq[ue] judicii diem credituri sunt, omnem inficiati haud possimus, durationē & perpetuitate falsa Ecclesiae, ut non soli competat veræ. Neq[ue] antiqui semper: Ecclesia enim vera ali quando fuit sine anti-Adami; item Christi & Apostolorū. Neq[ue] duratio ultima propria est, ut ab ea sit inseparabilis, multa enim rursum interruptæ, quædam pro rursus etiam deletæ. Et & non interrupta duratio, sensu saltem Pontificio, vix Apostoli veritatem Ecclesiae non habuerunt, cognitos Ariani & alii quendam habuissent, quod suis hæresibus

§. 52. Durationem & perpetuitatem Ecclesiae nostra Ecclesiae essentialiē notam esse negamus. Cognita en-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No. [redacted]